

XI. 1⁸ Q.

(cat. 4, 22-33^b)

de concessis promotionibus supremo. honorum
in jure etiam extra facultatem in Academ.
Lipsieast.

29

PRO-CANCELLARIUS

JOH. CHRISTIANUS KOENIGK,
JUR. UTR. DOCTOR, ET FACULTATIS
JURIDICÆ LIPSIENSIS ASSESSOR,

LECTIONEM CURSORIAM,
CRASTINA LUCE,

DIE XXII. MARTII, HORA XI.

ET

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

ALTERO DIE AB HORA VIII. usque XI.

A

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO
JOHANNE FRIEDLIEB VOCKEL,
 OSSATIENSI MISNICO,
 HABENDAS,
 SIMULQUE
 SOLENNEM EJUS PROMOTIONEM DOCTORALEM,
 EO IPSO DIE CELEBRANDAM,
 INDICIT.

28

HERO-CANONI-ARIA
PER CHRISTINUS HORNING
AD ALBERTUM VON TETTENBERG
REGETIONI CEROTIVIA
GRASIANA
DISPUTATIONI INTRICAREM
NORISSEMO ET CERASSIMO
HORNINI RUDIBRIO
OBTULIT HIS
SPURIA
CERAM

Em novam, bono auspicio, &, quod
DEUS jubeat, felici successu, nunc
aggredimur, dum ex singulari Gratia
Serenissimi & Potentissimi
Principis ac Domini, Domini
FRIDERICI AUGUSTI,
Regis Poloniarum, Magni Ducis Lithuaniae,
Russiae, Borussiae, Samogitiæ, Volhiniæ,
Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenciæ,
Severiæ & Czernichoviæ, Ducis Saxoniæ,
Juliae, Cliviæ, Montium, Angriæ & Westphaliæ,
Sacri Romani Imperii Archi-Mareschalli & Electoris, Landgravii Thuringiæ,
Marchionis Misniæ & Superioris inferioris
que Lusatiae, Burggravii Magdeburgi, Comitis Principali Dignitate Hennebergici,
Comitis Marcæ, Ravensbergæ & Barby, Dynastæ in Ravenstein &c. &c. Domini Nostri
Clementissimi, in posterum Promotiones etiam extra
Facultatem supremos honores Licentiaturæ & Docto-
ratus

ratus in Jure ambientium sumus suscepturni. Hactenus enim a fundatione hujus Academiæ, & in ea Facultatis nostræ Juridicæ, ultra tria secula, quantum ex statutis nostris & annalibus constat, invaluit, omnes illos, qui coram Collegio nomen suum sunt professi, & gradum Doctoris assumere secum constituerunt, ad Facultatem usquequaque promotos, & exinde omnium jurium, quibus illa gaudet, participes fuisse redditos. Quam consuetudinem Majores nostri exacte custodiverunt, ut latum unquam ab ea recedere religioni sibi duxerint, memores dubio procul versus Enniani :

Moribus antiquis stat res Romana virisque.

Equidem novitates non esse inducendas, nec observantias antiquas & consuetas immutandas, ostendunt l. 5. ff. de decret. ab Ordin. faciend. & l. i. C. vestig. nov. instit. non poss. cum juxta **Wesenbecium** ad tit. ff. quod quisque jur. in al. stat. n. 2. & Ant. de Butrio in c. 8. x. de consangu. & affinit. sint suspectæ & periculose; adeoque, quoad ejus fieri potest, vitandæ, c. 3. x. d. t. l. 2. ff. de constit. Princip. Hinc Pontifex **Honorius III.** Capitulo Parisensi hunc in modum rescripsit: cum consuetudinis ususve longævi non sit levis authoritas, & plerumque discordiam pariant novitates, autoritate vobis præsentium inhibemus, ne absque Episcopi vestri consensu immutetis Ecclesiæ vestræ constitutiones & consuetudines approbatas, vel novas etiam inducatis, uti hoc ex c. 9. x. de consuetudl. appareat. Et de Imperatore, **CAROLO V.** relatum legimus, ipsum Filio

Filio suo, PHILIPPO II. Regi Hispaniarum, cum eis
Bruxellis die 25. Octobr. 1555. regimen Belgicarum
Provinciarum cederet, præmissa de observandis anti-
quis consuetudinibus seria admonitione, ne quid inno-
varet, aut faciles aures innovationem suadentibus præ-
beret, injunxit. Jo. Paul Felwinger, P. P. Altdorf. in
Disp. de novitatibus in Republica vitandis, §. 8. Ve-
rum enim vero utut largiamur, mores pristinos non
facile esse immutandos, inque eorum locum novitates,
sæpius præter spem & opinionem noxam post se tra-
hentes, introducendas: non tamen, ut credamus, in-
duci possumus, regulam hanc sine discrimine accipi,
ita, ut nulla omnino mutatio eorum, quæ lapsu tem-
poris aliam induunt faciem, debeat suscipi. Nihil e-
nim his in terris tam constans & perpetuum potest
constitui, ut, casibus emergentibus, mutationi non sit
expositum. Nov. 7. c. 2. in pr. & Nov. 69. c. 4. §. 1. in
fin. Quemadmodum autem novitates ausu temera-
rio, in unius alteriusve gratiam, non sunt suscipiendæ,
sed tunc demum, si necessitas vel utilitas eas suadeat
aut urgeat: ita palam est, quod hac in re vel maxime
ad hæc duo respicere jubeamur, quibus deficientibus,
melius iis, quæ longo tempore sunt recepta, utimur,
quam si nova appetamus. Scite hac in parte sentit
Martin. Neurath in annotationibus ad Hippolyti a
Collibus Principein, Consiliarium &c. p. 679. sq. quan-
do ait: Dieses aber muß nicht dahin ausgedeutet und
verstanden werden, als wenn ganz keine Aenderung

vorzunehmen ic. sondern daß es nicht temere, unvor-
sichtig, Gottes Wort zu wider, ohne Noth, Recht
und Nutzen des gemeinen Besten geschehe. Si tempus
suppeteret, varia exempla tam in causis publicis, quam
privatis, urgente necessitate vel utilitate, noviter in-
trodacta, aut mutata in scenam producere possemus,
sed chartæ angustia & tempore excludimur, ut non-
nullorum solummodo meminisse sufficiat. Ex Aurea
Bulla, ejusque tit. 3. & 4. liquet, septem tantum Ele-
ctores eo tempore, quo illam Imperator CAROLUS
IV. promulgari fecit, fuisse, cum tamen hodie duos
adhuc, citra Romano-Germanici Imperii detrimentum,
esse constitutos, omnibus pateat. Instrum. Pacis Mo-
nast. Osnabrug. art. 4. & 5. Conclus. trium Colleg. S.
R. I. die 20. Junii 1708. & Cæsar. Decret. Commiss. die
7. Sept. dict. an. In ejusdem Aureæ Bullæ tit. 24. §. I.
extat, bona reorum ob crimen læsæ Majestatis fisco Im-
peratoris esse addicenda: ast illud postea tempore Im-
peratoris FERDINANDI III. fuit mutatum, & con-
ventum, ut ejusmodi bona in posterum Dominis terri-
torii, jura fisci habentibus, relinquuntur. Vid. Capi-
tulationes laudati Imperatoris FERDINANDI III. art.
28. LEOPOLDI art. 27. JOSEPHI art. 26. & Augu-
stissimi Imperatoris CAROLI VI. art. 21. Et quem
nostrum latet recentissimum in Elect. Saxoniæ exem-
plum de recognita & emendata Ordinatione Processu-
ali, an. 1724. publice promulgata, utpote in qua multa,
si veteri comparatur, litium abbreviandarum & justi-
tiae

tiæ eo citius promovendæ causa, saluberrime sunt im-
mutata. Hoc, scilicet non omnem novitatem esse
contemnendam, secum ex propensissima in Faculta-
tem nostram gratia reputans Augustissimus Noster
AUGUSTUS, proprio motu de Promotioni-
bus ad Facultatem tantum, inveterato usu haetenus re-
ceptis, Clementissime imperavit, ut Ordo noster, an-
non etiam Promotiones extra illam, ad exemplum Fa-
cultatis Medicæ, institui conducat, & quaratione com-
mode id fieri queat, probe ponderet, ac desuper re-
lationem transmittat. Verba Regii istius Mandati die
13. Sept. 1623. ex Proto Synedrio Dresdensi ad Acade-
miam Lipsiensem directi, ita sonant: Auch nachdem
bekant, daß die Promotiones in Jure zu Leipzig sehr
lostbar seyn, und solches zum theil daher röhret, daß
die Promotio allezeit ad Facultatem geschieht, und ein
solcher Doctor Hoffnung hat, künftig eine Stelle in
der Facultät zu erlangen; Als habt ihr von derselben:
Ob nicht thunlich, daß bey ihrer Facultät, als wie bey
der Medicinischen, die Promotiones, welche nicht ad
Facultatem geschehen, eingeführet werden könnten, ih-
ren Bericht und unmaßgebliches Gutachten zu er-
fordern. Re a nobis sollicite perpenfa, factaque ad
Regiam Suam Majestatem relatione humillima, Illa
non solum ea, quæ literis consignata erant, Clemen-
tissime approbavit, sed etiam ad Collegium nostrum
die 17. Aprilis 1724. tali modo rescriptis: Wir haben
uns das, auf Unserm an die Universität zu Leipzig,
unterw

unterm dato den 13. Sept. des jüngst abgewichenen
1723sten Jahrs ergangenem Befehlich von euch am
7. Febr. a. c. eingeschickte Project: auf was Art die Pro-
motiones in Jure, zu mehrerer Erziehung derer bishe-
rigen hohen Kosten, extra Facultatem reguliret wer-
den können, gebührend vortragen lassen; Wann wir
denn selbiges also in Gnaden approbiren: Als begehr-
ren Wir hiermit gnädigst, ihr wollet bey künftigen
Promotionen demselben allenthalben nachgehen. Hu-
jus igitur Clementissimæ concessionis initium, bono
cum DEO, nunc facimus, atque primum, qui, ut ex-
tra Facultatem promoveatur, desiderat, publice indi-
cimus. Est ille Nobilissimus & Clarissimus

JOANNES FRIEDLIEB VOCKEL,
Jurium Candidatus dignissimus,

de cuius vita & studiis, ad instar aliarum Academiarum,
quædam commemorabimus. Natus est Candidatus
noster Ossati, Oppido Dresdam & Lipsiam medio lo-
co interjacente, die 2. Martii anno M DCC II. Paren-
tes, quibus Divinum Numen vitam longævam præstet,
veneratur, & quidem Patrem, *Virum Prænobilissimum,*
Amplissimum & Consultissimum Dominum JOHAN-
NEM PAULUM VOCKEL, quondam Praefeturæ
Ossaciensis Præpositum, jam Potentissimo Regi Polo-
niarum & Electori Saxoniæ a Consiliis Commissionum,
& superioris Praefeturæ Dresdensis Directorem meri-
tissimum, Matrem autem, eximiarum virtutum fœmi-
nam,

nam, MARIAM SOPHIAM, natam ex clarissima
stirpe HOEPNERIANA, cuius Avi paterni, JOH.
HOEPNERI, Theol. Profess. & Superintendentis hic
Lipsiae, supra nostram laudem positi, memoria adhuc
viget, floret & non intermoritur. In prima ejus æ-
tate privatorum Informatorum fidei & curæ fuit tradi-
tus, cum autem ipsius Parens Dresdam ad superiorum
Præfecturam evocaretur, præter privatam institu-
tionem, privatissima M. Gellii, Con-Rect. Scholæ Cru-
cianæ fidelissimi, informatione usus, per aliquot an-
nos ibi est commoratus, postea vero, antequam altior-
ibus se dicaret studiis, e consilio Patris Optimi, an.
1720. Gymnasium Provinciale, quod Misena in monte A-
frano extructum conspicitur, per duos, & quod excurrit,
annos, sub inspectione M. Grabneri, Collegæ ter-
tii, cuius in docendo dexteritati omnes, quos in ele-
gantioribus literis & Philosophiæ principiis progressus
fecit, se debere ingenue fatetur, adiit. His probe ja-
cetis fundamentis, ad superiores disciplinas animum ap-
plicuit, & propterea Vitembergam an. 1722. se contu-
lit, ibique ante omnia Jus naturæ, ex ore celeberrimo-
rum Professorum Hassenii, & D. Speneri, quo-
rum ille Synopsin Jurisprudentiæ moralis a se conscrip-
tam, hic vero Domini Gribneri, Principia Ju-
ris naturæ explicavit, debita industria percepit. Mox
legitimæ scientiæ torum se dedit Candidatus noster, at-
que Viros Prænobilissimos & Consultissimos, Profes-
sores & Doctores famigeratissimos, Menckenii-

um, Brendelium & in primis Krausium,
cujus singularem industriam & benevolentiam non sa-
t s prædicare potest, omnes Juris partes solide expli-
cantes, per triennium fere indefessus audivit. Cum
autem, non Scholæ tantum, sed etiam vitæ discendum
esse, secum perpenderet, relicta Academia Leucorea,
Dresdam se recepit, ibique per aliquot menses in Fræ-
fectura, quam Parens ejus summa cum laude admini-
strat, ea, quæ in ipsis rerum obtinent argumentis, ex
Actis publicis sibi cognita reddidit. Quo facto an. 1725.
Lipsiam venit, & in hac Musarum sede tum Juris Feu-
dal, Canonici, nec non Publici, tum quoque Proces-
sus uberiorem notitiam, præcuntibus Juris Doctoribus,
Bauero, Gebauero & Malcovio, Viris de
Studio saluventute indies magis magisque merentibus,
sibi acquisivit, eamque, sub moderamine *Viri Prænobil.*
& Consult. D. Künholdi, Prof. Ord. & nostri Col-
legii Assessoris, controversias Feudales ex Gymnasio
Polemico Menckeniano in Audit. Petrino an. 1726. ma-
scule defendendo, publice Auditoribus comprobavit.
Paulo post per literas desiderium suum gradum Docto-
ris extra Facultatem assumendi nobis declaravit, mo-
desteq; ut ad præcripta specimina admitteretur, petiit.
Honestissimo huic desiderio non potuimus non defer-
re, adeoque fores ad hunc honorem ei pandimus. Die
igitur 22. Nov. an. 1726. primum tentamen, in quo binos
textus, unum ex Decret. Jur. Canon. & alterum ex Codi-
ce Jur. Civ. in pleno nostro consensu enodavit, sustinuit,
quo

quo superato, promeritam in utroq; Jure Lauream re-
portavit. Posthac veniente die 24. Dec. dicti anni ex-
amen, quod vocant rigorosum, subiit, & in utroque
expectationi nostræ satisfecit. Nunc reliquum est, ut
etiam publice se sistat, &, quæ adhuc restant, expedi-
at. Ea propter die Lunæ, quæ est 22. Martii lectio-
nem cursoriam ad l. 10. C. de revoc. donat. hora XI. au-
dita, recitabit, & die 23. sequenti ab hora VIII. ma-
tutina ad XI. Inauguralem suam Disputationem de O-
missione renovationis Investituræ non dolose facta, ho-
die, & præcipue in Saxonia, ad Feudi amissionem
non sufficiente, in nominato Auditorio Petrino sine
Præside tuebitur, quibus peractis, solennis renunciatio
confestim suscipietur. *Et postquam Reveren-*
dissimus & Serenissimus Princeps ac Domi-
nus, Dominus MAURITIUS WILHEL-
MUS, Dux Saxonie, Julie, Clivæ, Mon-
tium, Angriæ & Westphaliae, Episcop. Mar-
tisburgensis Postul. Administrator, Land-
gravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, ac u-
triusque Lusatiae, Comes Principali Digni-
tate Hennebergicus, Comes Marcæ Ravens-
bergæ & Barby, Dynasta in Ravenstein &c.
Cancellarius hujus Academiæ Perpetuus,
Dominus meus Clementissimus, Pro-Cancel-
larii munus mihi demandavit, simulque omnem. & ple-

nariam promovendi potestatem, quoad hunc actum,
annexa substituendi licentia, concescit: ideoque Viro
Prænobiliss. atque Excellentissimo, Domino D. CHRI-
STOPHORO DONDORFIO, Facult. nostræ Se-
niori, ut & Curiæ Provincialis in Lusatia inferiori Af-
fessori gravissimo, virtute accepti Diplomatis, copiam
facio, ut antea laudato JO. FRIEDLIEB VO-
CKEL, præstito prius Justitiae Juramento, in utro-
que Jure Civili pariter ac Canonico, Licentiati titulum,
more consueto, tribuat, mox vero Doctoris axioma
eidem conferat, & omnia privilegia & jura, cunctas
que prærogativas, quæ Doctoribus nostris, sine tamen
suffragiis & sessionibus in Facultate nostra, quibus tan-
tum ad eandem promoti suo ordine & tempore fru-
untur, competit, illi indulget. Quo autem hic a-
etius splendidior evadat, Magnificum Acade-
miae Rectorem, Comites Illustrissimos,
Proceres utriusque Reipublicæ Amplis-
simos, nec non Generosissimos & Nobi-
lissimos Studiolos, ea qua decet, observantia &
humanitate rogatos cupio, velint dicta hora XI. diei 23.
adhuc currentis mensis Martii præsentia sua gratiosa &
honorifica illum condecorare, & vicissim pro hoc gra-
tia & benevolentia quævis officia & studia, quæ a no-
bis proficiisci possunt, expectare. P. P. Do-
minica Palmarum, A. R. S.
M D CC XXVIII.

LITTERIS KOENIGII.

Yc6769



56.

Retro ✓ 9.1.01

N.C.

Vd 17





de concessis promotionibus supremo. honorum
in jure etiam extra facultatem in Academ.
Lipsiensi. 29

PRO-CANCELLARIUS
JOH. CHRISTIANUS KOENIGK,
JUR. UTR. DOCTOR, ET FACULTATIS
JURIDICÆ LIPSIENSIS ASSESSOR,
LECTIONEM CURSORIAM,
CRASTINA LUCE,
DIE XXII. MARTII, HORA XI.
172
ET
DISPUTATIONEM INAUGURALEM
ALTERO DIE AB HORA VIII. USQUE XI.
A
NOBILISSIMO ET CLARISSIMO
JOHANNE FRIEDLIEB VOCKEL,
OSSATIENSI MISNICO,
HABENDAS,
SIMULQUE
SOLENNEM EJUS PROMOTIONEM DOCTORALEM,
EO IPSO DIE CELEBRANDAM,
INDICIT. 29